Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

mone composuit. Libros Carminum de S. Martino concludit prosopopœia, qua eosdem in patriam suam Tarusiam regionem remittit, viamque indicat, qua transire deberent. Sic sonat:

Si tibi (o liber) barbaricos concedituir ire per amne,
Ut placide Renum transcendere possis et Istrum:
Pergis ad Augustam, quam Vindo Lycusque fluenta
Illic ossa sacra venerabere Martyris Afra.
Si vacat ire viam, neque te Bajoarius obstat,
Qua vicina sedent Breonum loca, perge per alpes
Ingrediens, rapido qua gurgite volvitur Oenus.
Inde Valentini benediti templa require,
Norica rura petens, ubi Byrrus vertitur undis
Per Draxum itur iter, qua se castella supernat.
Hinc montana sedens in colle superbit Aguntus.
Hinc pete rapte vias, ubi Julia tenditur alpis
Altius assurgens, et mons in nubila pergit.

Eandem hanc viam inversa ~~Italiam ad~~ retrorsum a Fortunato fuisse ante confectam, consentiunt eruditi. Majas tunc nondum fuisse civitatem, inde Isonoque locum non nominat Auctor, sed solum Valentini templa, dum tamen Augustam et Aguntum proprijs appellat nominibus. Porro ex illis verbis: Qua vicina sedent Breonum loca, perge per alpem ingrediens, rapido qua gurgite volvitur Oenus; satis clare patet, Fortunatum quoque eadem via ex Byrri valle ad Athesim et Majas, inde per Venosticam et superiorem Oeni vallem ad Bojos pervenisse.

57) Vid. Paulus Diaconus l. 2, c. 13. Vid. Addit. 36.

58) Gregorius Turon. de Gloria Martyr. l. 1, c. 42: Templum erat in quodam loco Beati Laurentii et reliquiis et nomine consecratum, quod per injuriam longinqui temporis vetustate detectum erat. Quod cum renovare loci incolæ vellent, silvas adeunt, incisa levigataque ligna trabes efficiunt, impositasque planstris ad locum exhibent. Quibus portantibus ad ordiendum extensis, una brevior est reperta; statimque sacerdotis animum, qui ad hæc insistebat, dolor maximus attigit, et flens valde, quid ageret, quo se verteret, ignorabat. Tunc intuens roboreum breviorem, ait: O Laurenti beatissime, appositus igni glorificat, semper parcere vovens, ac respiciens: Cogita paupertatem meam, quia non est exiguitati meæ facultas, qualiter hic alia exhibeatur. Illic cunctis attonitis trabs crevit in tanto spatio longitudinis, ut necesse esset partem magnam incidi. De qua industria plebis beneficia perdere nefas